

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Bibliotheca Smithiana, Seu Catalogus Librorum D. Josephi
Smithii Angli Per Cognomina Authorum Dispositus**

Pasquali, Giovanni Battista

Venetiis, 1755

Petri De Abano.

urn:nbn:de:gbv:45:1-844

hominum illum tumultum hunc spectatissimum triumphum præcessisse cre-
diderim; ut quot in illo turpitudinis notas extingueres, tot in te trium-
phales coronæ resulgerent. Convenientissimum præterea videbatur, ut cui
merito omnia debo, & imperio subsum, ipsi meum, siquid esset præ cæ-
teris dicaretur ingenium: sperans denique id fore morte obita, ut ad po-
steros aliquando non inglorius commigrem & vivam; ubi si immortalita-
tem illam quam omnes expetunt, pauci vero assequuntur, vel ipse non
assequar, gaudebo tamen tuo augusto paternoque nomine, cui hoc de re
militari opus inscripsi consecravique, me diuturnam lucem, & sempiter-
nam quandam gloriam adepturum, qui fortasse sine te, qui multis me ad
scribendum rationibus impulisti, in tenebris abjectus jacuisse. Sit itaque
tuo tantum nomini dicatum; & quid de te mihi pollicear videoas obsecro.
Numquam enim hujusc libri exordio nomen ipsum legetur tuum, quum
passim & ubique gentium sublime magnificumque prædicetur, quin mihi
splendoris & gratiæ plurimum sit allatum. Putabunt enim singuli, ad
quos liber iste pervenerit, non parva nec inutilia se percepturos, dum
tam splendidum, tam præcellens, tam illustre ipsis primis apicibus no-
men tuum intuebuntur & legent. Suscipe igitur clementissime ac optime
princeps Sigismunde Pandulphe, gratissimis ulnis munuscum hoc exi-
guum, licet ab animo tam tibi deditissimo tuique amantissimo profectum,
intentiusque leges, quum aspireat tibi inter plurima strepentum occupa-
tionum tuarum agmina licebit: inventies profecto plurima in hoc opere,
qua tibi sint aut voluptati maxime legisse, aut ornamento vidisse, aut
usui meminisse, quippe quæ præceptis & exemplis suis oblectare atque in-
struere bene institutum animum possunt. De cujus causis nihil attinet plu-
ra nunc differere, quum quidem singulæ partes ejus destinatis aliquot vo-
luminibus explicanda sint, quæ ordine suo tunc demum prosequar, quum
præfatus fuero pauca quedam de ipsius rei origine ab aliis pene omnibus
omissa Scriptoribus; quam reor ad universæ etiam rei descriptionem ab
aliis quoque pluribus intactam maxime profuturam.

P E T R I D E A B A N O

C O N C I L I A T O R D I F F E R E N T I A R U M P H I L O S O P H O R U M .

Mantuæ, per Thomam Septem-Castrensem & socios, M C C C L X X I I .

ante Tractatum de Venenis. [1]

Reverendissimo in Christo Patri & Domino Domino N. Divina
Providentia Summo Pontifici. [2]

Petrus de Abano minimus Medicorum cum devotione præsens scriptum
tam vestræ petitioni, quam pro debiti solutione afferre, juxta posse
obedire propono: ut Sanctitati vestræ tum ad profectum corporis,
tum ad scibilia coaugenda tractatum utilem quam brevem non minus de ve-

[1] Satis superque de Petro Apone, celeberrimo Mathematum, reique Medica Professore, ornatissimus Vir & Comes Joannes Maria Mazuchellus in suis Commentariis de Scriptoribus Italiss. differit.

[2] Quamvis nomen Pontificis in epistola

non innoteſcat, facile tamen ſufpicari poſſumus, Librum de venenis, eorumque remedis Honorio IV. Petrum nuncupasse, cum alios eidem Pon-
tifici, Mercklin, ac Mangeto præſertim testi-
bus, ſanitatem reſtituerit.

